

Pri. C. num. 2.

6
DE
DOMINII ADQVISITIONE
PER PROCVRATOREM

PRAESIDE
D. IOANNE CAROLO GEBHARDO
REINHARDO

IVRIS FEVDALIS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
PROFESSORE PVBLICO IVDICII PROVINCIALIS IN
MARCH. LVSATIAE INFER. ET FACVLT. IVRID
ASSESS. ORDIN.

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS

RITE CONSEQVENDIS
DIE XII. JANVARII CICIOCCCLXXVIII
H. L. Q. C. DISPVTABIT

AVCTOR
CAROLVS FERDINANDVS SCHMID
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS

VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS



DOMINI ADQUISITIONE
PER PROCURATOREM

TABERNA

CÖVNING-CÖVING-GÖHARD

-REINHARD

LAURENTIUS ALEXANDER LITTMEREGENSI
LITERARIA AVICENSIA IADAMUS THERAPIONIS
ARCHIATRICAE MUNERIS ET VITAE
ACERBIS ODIS

THOMAS

LETTA CONSERVATORIS


LIBRARIÆ CÖVNING-CÖVING-GÖHARD

EX LIBRIS D. GÖTTSCHE

VAGOTIA

CÖVNING-CÖVING-GÖHARD

U. 1811. 1812. 1813. 1814.



I

Diuersos antiquitus officii procuratoris agnouit limites scientia legalis, quos quidem anquirendi pro virium modulo, scribendi opportunitas praebet occasionem. Procurator est is, qui negotia aliena domini mandatu administrat *l. 1. pr. D. de procur.* Duo itaque, secundum **VLPIANI** definitionem, requiruntur ad procuratoris officium. Quorum quidem prius antecedat oportet, puta mandatum; alterum subsequatur, negotiorum administratio, quorum expediendorum caussa dominus mandatum dedit. Quare fit, vt, si vnum aut alterum desit, procuratoris munus euaneat. Mandato enim deficiente, si quis aliena negotia administranda suscepit, negotiorum gestor, vel defensor, procurator rei, vel voluntarius, **CIC. Brut. cap. IV. PAVL. rec. sent. I. 3. 3.** proprie, procurator autem improprie appellatur, vt in *lege 13. §. 12. D. de hered. pet. II. 12. §. vlt. 34. §. 6. et 58. D. de solut.* Quid administratione non subsequuta sentendum sit, renunciandi mens scilicet, re adhuc integra, ex eo apparat, quod

A 2

man-

* * * * *

mandatum non suscipere liberum sit cuilibet, hic autem, qui renunciauit, hoc facto declarerat mandati suscepti poenitentiam, atque propter rei integratatem pro eo, qui ab initio suscipere noluerit, habeatur, nec iniuria *l. 22. D. mand. §. vlt.* Mandatum autem a domino proficisci debet, id est ab eo, qui liberam habet negotiorum suorum atque bonorum administrationem. Nullus procurator constituitur ab eo, qui non sit dominus, veluti negotiorum gestore. Qui enim huius mandatu negotia aliena gerit, procurator non est, quamuis negotiorum gestori mandati teneatur. Quod sequitur ex supra laudata **VLPIANI** definitione atque diversis verbis affirmatur a **PAVLO l. 21. §. 3.** item a **IAVOLENO l. 28. D. de negot. gest.** Magistratus dat tutorem atque curatorem, vel actorem §. 6. *Inst. de Curat.* procuratorem numquam, tutor autem atque curator, ex iuris romani subtilitate, ante litis contestationem actorem sibi substituebat, non procuratorem, *l. 11. Cod. de procurator.*

II.

Quod ad verbum *procurare* attinet, longe fortasse antea erat in usu, quam procurator, tamquam ritibus sacris proprium atque mancipatum, in primis autem expiationi. Procurandi verbo saepius usus est **LIVIVS**, idemque prodigia

digia partim maioribus hostiis, partim lactantibus, procurata esse refert *L. XXI. c. 62. XXVIII. c. 11. PLAVTVS* in huius verbi locum substituit comprecari, ut in *Amphitr. act. II. sc. 2. v. 106.* quod ex *TAVBMANNI* sententia nihil aliud est, quam mola salsa aut thure deuenerari, id est, pacem ac veniam a prodigali Ioue aliisque auerruncis omni suppliciorum atque piamentorum genere exambare. Qui quidem, quamuis de somnii expiatione loquatur, nihilo minus tamen in somniorum infaustorum expiatione procurare vocem solemnem fuisse, *TIBULLVS* auctor est, *Eleg. L. I. 5. v. 13.*

Ipsè procuraui, ne possent saeva nocere,

Somnia ter salsa deueneranda mola.

et *L. III. 4. v. 9.*

At natum in curas hominum genus, omina noctis

Farre pio placant et saliente mica.

Fulgur procurare apud *SVETONIVM* occurrit in *Galb. c. 4. CICERO L. I. c. 2. de diuin. monstrorum procuratione* sive interpretationem ex haruspicie doctrina refert. Qua de causa haruspices prodigiatores procul dubio vocabantur, quorum meminit *FESTVS* sub voce *prodigiatores, CAPITOLINVM, in Pertinace, c. 11. imperatorem hostiae cor*, quum id vellet procurare, non deprehendisse

~~~~~

enarrantem, procurare pro interpretari dixisse manifestum est. Sunt, praeter hanc, aliae ac multifariae huius verbi significaciones, quarum aliquas addere lubet. Ita **VIRGILIVS**, in *Aeneid. Libr. IX. v. 159.* corpora procurare, pro simplici, itemque **PLAVTVS**, in *Poen. prol.* nutrices pueros infantes minutulos procurare dixerent. **SENECAE Ep. 123.** dementiam notanti, res procurandi heredi suo, procurare idem significat, quod anxie et ex voto heredis eurare. Vfurpatur denique eodem significatu, quo administrare, operam suam alicui accommodare, rem alieno nomine gerere, alterius personam sustinere, ex alterius persona agere, quam plurimis locis non solum aliorum auctorum, verum etiam, qui non sunt inferiori loco ponendi, Iurisconsultorum.

### III.

Procuratoris denominatio ex eo fortasse originem traxit, ut **ISIDORO Orig. L. IX. c. 4** placet, quod curatoris vice fungitur procurator, quasi propter curatorem, sicuti proconsul pro Consule. Immo et curatores fuisse procuratores vocatos ex *l. i. C. si tutor vel curator interu. apparet.* Ita, qui vt tutores vel curatores pupillorum aut puberum negotia gerunt, pro tute atque pro cura-

curatore negotia gerere dicuntur, *D. de eo, qui pro tut. proue curat. neg. gesit.* Qui impediuntur maiores, quo minus negotiis suis supersint, his, aut potius horum negotiis, datur curator. Qui rebus suis superesse vel non lunt, vel ob aliud impedimentum praeter id, cuius caufa curatoris officium obtinet ex lege, non possunt, procuratorem sibi eligunt atque constituant.

## IV.

Quum autem negotia sint, quae a procuratoribus suscepta geruntur, sicuti *negotii* vocabulum quam latissime patet, ita etiam perutile erit, aliquot, quibus usurpetur, notiones in medium proferre, vt, quam variae sint procuratoris partes, exinde intelligatur. Negotium omne dicitur, quod nos habet occupatos, quod nos impellit, vt faciamus, vel, ab alio vt fiat, curemus. Quo sensu contrarium est otium. Bona etiam atque res negotiis continentur itemque negotia appellantur. *Inst. de curat.* et alibi. Interdum negotium accipitur pro lite, *l. 20. C. de procurat.* interdum pro contractu et quotis in genere, vt *Inst. de oblig. quasi ex contr. §. 6. l. 1. D. de aestimator. l. 19. et 15. D. de praescript. verb. l. 3. D. de reb. auctorit. iud. possid. l. 5. de reg. iur.* Ex que vulgata

Iuris-

+ + + + +

Iurisconsultorum loquendi ratio promanauit, negotium contrahere *l. 4. D. quod iussu, l. 50. D. de iure dot.* Adeo, ut actio etiam, quae datur ex contractu vero, dicatur dari ex negotio gesto, ut *l. 1. §. 5. D. de his, qui deiec.* Haud raro et pro negotiatione sumitur *l. 3. l. 5. l. 19. §. 2. D. de inst. actione.* Omnium fere frequentissime accipitur pro eo negotio, quod quis, nullo mandato domini interueniente, immo etiam domino ignorantie, administrat, quomodo in Digestorum titulo de negotiis gestis. Sed et negotium gerere pro contrahere dicitur *Inst. de inut. stipul. §. 9.*

## V.

Sunt itaque procuratores negotiorum ratione vel iudiciales, vel extra iudiciales, prout negotia vel sunt in iudicio expedienda, vel extra iudicium peraguntur. Illi, de quibus praecipue differit Digestorum titulus de procuratoribus, dantur ad mouendas instituendasque actiones vel lites exsequendas. Hi vero ad reliqua negotia constituantur administranda, vel, ut cum PAVLO, *recept. sent. L. I. tit. III. §. 2.* loquamur, ad res administrandas, quos MODESTINVS *l. 63. D. de procurat.* si nimirum ad omnia negotia effent dati, procuratores totorum bonorum cognominare

minare videtur. Procuratores nomine alieno litem perse-  
 quendam fuscipientes, siue, ut *l. 86. D. de solut.* nuncupantur,  
 procuratores litis itemque procuratores ad actionem dati  
 secundum *l. 13. D. de pac*t*.* dantur vel ad omne negotium,  
 vel ad negotii partem, sicuti **PAVL**o placet, *recept. sent. L.*  
*I. tit. III. §. 2.* Non autem est, quod dubitemus, quin  
**PAVLVS** negotio litem intelligat, cuius expresse meminit  
 eadem propositione, antequam litis summam a parte distin-  
 guit, atque litem a rebus. Simili ratione **CAIVS** *l. 46. §. 4.*  
*D. de procurat.* caetera negotia liti opponit. An vero et-  
 iam in aliis rebus administrandis, ad litem non spectantibus,  
 idem sentiendum esset, multis dubium fuisse, qui vnius rei  
 mandatum fuscipientem procuratoris munere fungi nega-  
 rent, **VLPIANVS**, ad **POMPONIVM** prouocans, docet *l. 1.*  
*§. 1. D. de procurat.* Quorum quidem sententiam **CICE-**  
**RO** approbare videtur in *oratione pro Caecina c. 20.* Non  
 quo omnis, inquit, sint procuratores, qui aliquid nostri  
 negotii gerunt. Sed restringit procuratoris notionem ad  
 eum dumtaxat, qui legitime dicebatur procurator nimi-  
 rum omnium rerum eius, qui in Italia non esset, abesset-  
 que reipublicae causa, ideoque paene dominus habebatur,  
 hoc est alieni iuris vicarius. Exemplum, quo illius senten-  
 tiae propugnatores vsi fuisse videntur, ab epistola aut re ali-

B

qua

\* \* \*

qua perferenda, aut nuncio perferendo petitum nihil prod-  
est ad illustrandum, quod eo illustrare volebant. Manda-  
tum atque negotia aliena procuratorem efficiunt. Quam  
ob caussam verius esse non solum **VLPIANVS** asserit, eum  
procuratorem esse, qui ad vnam rem datus sit; sed etiam  
multis Iustiniane iuris locis affirmatur, exempli gratia  
*l. 20. §. 2. D. de domin. adquir. l. 42. de usurpat. l. 12. D. de-  
solut.*

## VI.

Vsus autem, **VLPIANVS** inquit, *l. 1. §. 2. D. de procur.*  
procuratoris perquam necessarius est. Aliter videbatur  
Romanis antiquioribus temporibus, qui procuratores a iu-  
diciis arcebant. Cur illos repellerent, ratio haec fuisse vi-  
detur. Formulis, quibus inclusae erant actiones, agendum  
erat in foro, quas suo nomine quemque proferre oportebat;  
iisque res propriae petebantur, ideoque nemo alieno no-  
mine agere poterat *l. 123. D. de reg. iur.* Sic iam iure  
**XII. tabb. praesentia** utriusque litigatoris requirebatur,  
fragmentum ad rem pertinens exhibit **GELLIVS Noct.**  
*Attic. Libr. XVII, c. 11.* Excipiebantur populus, ser-  
vus, pupillus et, ex lege Hostilia, pro iis, qui apud ho-  
stes aut reipublicae caussa aberant, suti actio, *pr. Inst. de*  
*iis,*

*is, per quos agere possumus.* Quae quidem nimis angustae limitationes, vñ edocente, ampliatae sunt atque laxatae fictione praetoris, iniuriam iuris stricti pro more corridentis, dominio litis excogitato. Prius autem, quam procuratores admitterentur, admittebantur procul dubio cognitores, quod inde colligi licet, quia domino præfente item administrabant ideoque antiquis ritibus, quum parum eos inflechterent, magis conueniebant. Quando admitti coeperint, mihi quidem cognitum non esse lubenter fateor. Meminit eorum CICERO *ad Herennium Libr. II. c. 53. in oratione pro Rosc. Amer.* atque *in oratione pro Caecin.* FE-STVS atque ASCONIVS PEDIANVS, sub eadem voce; meminit eorum PAVLVS *recept. sent. Lib. I. tit. 2.* In Iure Iustinianeo nuspia eorum fit mentio, quum cognitoris nomen abilicere placuerit IVSTINIANO atque procuratorem tantum retinere.

## VII.

Procuratores, qui extra iudicia procurauerint negotia, antiquioribus reipublicae romanae temporibus magis in vñ fuisse, quam procuratores litis, procuratores nempe, qui non essent serui, pro certo affirmare non ausim, quamuis, iam CICERONEM *in orat. pro S. Rosc. Amerino offi-*

cium procuratoris iusto commendasse elogio, sciam. In quibus rebus, inquit, ipsi supereesse non possumus, in his operaे nostrae *vicaria* fides amicorum supponitur, quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem. Serius enim iure recipiebatur negotiorum gestio per alios, quam nostros. Seruos, quibus rerum domesticarum administratio a domino iniungebatur, non video, cur ab eo tempore faltem, quo increcebat seruorum multitudo, singulisque ministeriis singuli praeponebantur, seruos procuratores existisse non concedamus. Ita *PLAVTVS* condum-promum commemorat cellarium ministrum, *Pseudoli act. II. scen. 2.* v. 14. qui se tamquam peni procuratorem atriensi, quasi suppromo, cuius mentio fit apud eundem, *militis glorijs act. III. scen. 2.* imperare iactet. Atrientes vero, quos inter lauiores atque honoratores seruos numerat *CICERO Parad. V.* et *PLAVTVS Afin. act. II. scen. 2.* atrium obseruabant, vbi coenabatur et supellefitem aedium aut villae exponebant et, vt omnia munda praestarentur, curabant. Condebant igitur atque promebant ad eorum exemplum, qui ab esculentis atque poculentis promendis atque condendis condi-promi dicebantur; utriusque vero, latiori significatu, atriensium nomine, sicuti praeter hos et alii fortasse, insig-

insigneabantur. Atriensium, supellectilem procurantium, partes quasdam iocoſe sub sua persona describere videtur  
**HORATIVS Ep. I. 5.** his versibus:

*Haec ego procurare et idoneus imperor et non*

*Inuitus, ne turpe toral, ne folidia mappa*

*Corruget nares, ne non et cantharus et lanx*

*Oſtendat tibi te.*

Procuratores etiam vocabantur ferui rustici, quorum cel-  
lam supra ianuam constituit **COLVSELLA** *L. I. c. 6.* vt vil-  
licum obferuent et intrantium exeuntiumque conspectum  
habeant. Quibus inferiores fuſſe actores testatur **PLI-**  
**NIVS** *Ep. III. 19.* quum vna res vni subeffet procuratori,  
pluribus autem actoribus. Quos etiam **VLPIANVS** *I. 1.*  
*§. 1. D. de fugitiis.* per possessorum procuratores indicasse,  
vel saltem iis comprehendisse videtur. Erant denique ferui,  
vicarii dicti, quos lautiores alii quaſi subseruos habebant,  
qui eorum vices gererent. Meminit eorum **SENECA de**  
**tranquillitate animi** *c. VIII.* vbi vid. **LIPSIVS** in adnot.  
**A IVSTINIANO,** *Inst. de leg.* *§. 17.* et ante eum a **MAR-**  
**TIALI,** describitur feruus vicarius, feruus inferioris no-  
tae et ipsius ordinarii ferui subseruus. Huiusmodi igitur  
feruorum procuratores esse arbitrор, qui apud **CAPITO-**  
**LINVM** occurrunt in *Maximinis c. VIII.* Maximinus, in-

~~14~~  
quit, meminerat, se Romae etiam a seruis nobilium contumeliam esse, ita, ut ne a procuratoribus quidem eorum videretur.

### VIII.

Quamvis autem ex his seruos procuratorum nomen gesisse satis appareat, nihilo minus tamen haud parum abierat, quin procuratorum munere fungerentur. Negotia, quae seruis gerenda committebantur, erant domestica. Modus committendi iussus. Seruum inter et dominum quemadmodum nulla conuentio, ita etiam nullum erat mandatum. Mandamus libero homini, imperamus villico aut seruo, CICERO de orat. L. I. Habebatur seruus pro mortuo, l. 32. D. de reg. iur. adeoque prorsus carebat persona in iudicio agendi, l. 33. D. de procurat. et l. 15. D. ex quibus cauiss. Si vellent itaque domini seruum procuratoris loco habere, opus erat antea manumissione, quam inter iustas manumittendi cauissas refert IVSTINIANVS Inst. qui et quibus ex cauiss manumittere non possunt §. 5. Quod quidem effecit, ut liberae personae, quibus facultas inerat, in se recipiendi, quidquid rogabantur, procuratorem denominationem sibi vindicarent, sicuti procuratores idem significarent, quod homines priuatorum potestati nullatenus subiecti

iecti. Libera persona vocatur procurator *Inst. per quas personas adquir.* §. 5. l. 20. §. 2. *D. de adquir. rer. dom.* l. 1. *Cod. per quas personas adquir.* l. 1. *Cod. de adquir. et retinend. possess.* Ita etiam quisquis de liberis sit, procuratoris nomine appellandus esse videtur **CICERONI** in orat. pro *Caecin.* c. 20.

## IX.

Quibus quidem praemissis, quae, nisi praemitterentur, sequentibus fortasse desiderarentur, res ipsa me monet, ut ad ipsam argumenti pertractionem accedam. Per nosmet ipsis nobis adquiri posse, dummodo licite, quis est, qui neget; quod ius, quod vetet? An vero etiam, aliorum ministerio intercedente, aliquid nobis adiici possit, prius, quo iure, definiendum est, quam, an possit, neges vel affirmes. Aliter nobis adquiritur per alios ex iure naturali, aliter ex iure ciuili. Per nostros nobis adquiritur ex vtroque; per extraneos ex iure naturali, non autem ex iure romano. Et ex hoc vetustiori omnino nihil. An vero etiam ex recentiori et quomodo, hoc est, de quo breuius differere constitui. Extranei, quatenus nostris opponuntur, omnes, qui sibi sunt iuris, censentur. Sunt autem nostri, prout est iure vel sic, vel aliter constitutum ut no-

ftri

stri sint, varii atque diuersi. Non, vt vnum proferam exemplum, omnibus gentibus communis est talis patria potestas, qualis recepta erat in republica romana, quatenus iure, omnibus gentibus propria, quatenus natura innititur. Quare fit, vt, qui ex hoc iure nostri existunt, ex altero extraneis magis accedant; ex hoc autem extranei interdum nostri potius esse videantur; qui ex altero semper pro extraneis habentur. Quare fit, vt, quomodo differt, ratione personarum, ita etiam in eo, quod circa acquisitionem per alias personas praeter nosmet ipsos atque nostros iustum atque legitimum censet, haud parum discrepet ius romanum a iure naturali.

## X.

Prius autem, quam de eo, quod Romanis placuit, agam, cur sit de hac re aliter sentiendum ex iuris naturalis principiis, vt altius inuestigem, non a re alienum videtur. Tum enim melius apparebit, quod Romanos mouerit, vt ius naturale circa hanc materiam relinquerent aut potius sibi accommodando informarent. De voluntate nostra, nisi constet alteri, nullum est factum nobis imputandum. Constat tacite vel expresse. Tacite, facto voluntatem declarante, cuius extamus auctores, vel nosmet ipsi, ita, vt volunt-

voluntas factumque uno actu, una eademque contineatur  
 persona, vel ipsi quidem insimulque per alios ea conditio-  
 ne, ut, quidquid hi faciant iuxta voluntatem nostram, quod  
 ad factum pertinet, a nobis alienum, quod ad voluntatem,  
 facti caussam atque originem, nobis quam coniunctissimum  
 existimetur. Ut, quod aliis fecit, non sibi, sed alteri attri-  
 buatur, efficitur consensu duorum, quorum alter alterius  
 nomine promittit, alter rogat, ut ille promittat. Vtique  
 consentiente, quod hic intra mandati limites egit, is egisse  
 censetur, cuius nomine egit, propterea quod egit praeci-  
 pue non ex sua sed ex alterius voluntate. Eo autem ipso,  
 quod mandatarii voluntas in unum quasi coalescere debet  
 cum animo mandantis, sit, ut vterque unam conficiat per-  
 sonam, quamdiu utriusque inest una eademque voluntas.  
 Vbi una persona, cui adquiratur, nullum est dubium, ei  
 videlicet, quae habet animum adquirendi. Procurator ha-  
 bet quidem, habeatque oportet, animum adquirendi, non  
 sibi, sed alteri. Quidquid igitur apprehendat, occupet, ac-  
 cipiat, apprehendere, occupare, accipere intelligitur, qui  
 voluit, ut suo apprehenderetur nomine, occuparetur, ac-  
 ciperetur. Ita et qui in pescando, aucupando, venando,  
 margaritas legendo operam addixere aliis, statim, quod oc-  
 cupauerunt, adquirunt ipsis, quibus operam accommoda-

C

runt,

runt, GROTIUS de iure belli ac pacis L. III. c. 6. §. 9. 'qui et apud Graecos, qui in Olympiis certarent, praemia adquisi- uisse iis, a quibus mitterentur, tradit.

## XI.

Sí quis interroget, an possessio sine dominio, seu dominium sine possessione per procuratorem adquiratur iure naturali, non est, quod dubitemus, neque possessionis ratione neque dominii. Vtrumque enim, quod ad personas, mandantem atque mandatarium, attinet, non est iure distinctum atque separatum. Quis possidere incipit? Qui occupat, an, qui occupantis ministerio vtitur, vt possessionem inchoet? Quis possidet? Qui rogauit, vt sibi possideatur, an, qui, rogatus, rem, quam tenet, possidere nonuult? Quis denique dominus existit? Qui rem detinet, citra omnem habendi animum atque possidendi dominique affectionem, an, qui ipse quidem corporaliter rem non tenet, tenet autem ex pacto per alium eo animo, vt solus possideat atque ipsum detinentem non minus, quam caeteros omnes tum a possessione, tum a dispositione excludat? Quo autem momento dominus esse incipiat, qui per alium dominium nanciscitur, satis iamiam est apertum per se atque luculentum. Quo enim alio, quam quo procuratori traditur,

procu-

procurator autem accipit, occupat, apprehendit? Nihil igitur opus est, ut mandati dominus, procuratore accipiente occupante, apprehendente, ipse corporalem ingrediatur possessionem eademque dominium.

## XII.

Longe aliter de hac re placuit Romanis, qui per nullas personas praeter eas, quae sint in nostra potestate constituae, nobis aliquid adquiri, sibi persuaderent, quum fatis iamiam pateret quaestus per eos, qui alienae subdit erant potestati, et quidem potestati, quam dabat atque agnoscerebat ius ipsum ciuale. Superfluum igitur existimabant, immo iniquum, quod stricto iure non licebat, ideoque ut per aequitatem atque benignam iuris interpretationem licitum esset, primo initio non curabant. Rationem enim non videbant, qua liberae personae ita iungerentur ut, salua eorum libertate, quod adquirerent, non sibi, sed alteri adquirere viderentur. Obstat, quo minus viderent, quod recentioribus temporibus receptum esse PAVLVS atque VLPIANVS affirmant, si nihil aliud, possessionem minime alteri per alterum adiici posse, mancipationis atque traditio nis solemnis, quae ipsius tum alienantis tum adquirentis praesentiam desiderabat. Qua de causa alterius minist

C 2

rium,

rium, sicuti irritum frustaneumque, ita etiam illicitum erat atque prohibitum. Ad quod fortasse accedebat, ut mandatum, quod censebant ex officio et amicitia proficisci *l. 1. §. 4. D. Mand. vel contra*, initio non crederent obligationem constituere, GERH. NOODT *Probab. L. IV. cap. XII.* nec fatis firmum putarent, ut liberae personae, non ex sua, sed ex alterius persona agerent; et, quum iure solum patriae atque dominicae potestatis vinculum, facultate per seruos atque filios acquirendi coniunctum viderent, indignum quasi crederent, si extraneis atque liberis personis applicaretur, quod de iis, qui non sui iuris essent, certum erat indubitatumque. Qui enim in potestate alterius erat, CAIO teste, nihil suum habere poterat, *l. 10. §. 1. D. de adquir. rer. domin.* neque possidere intelligebatur, qui, secundum *MODESTINVM*, ipse possidebatur, *l. 54. §. 4. eod.* Praeter filios familias atque seruos vel usufructuarios vel bona fide seruentes nulli erant alii, per quos adquireretur ex iure romano. Nihilominus tamen eximebatur postea procurator personis, rebus, per procuratorem adquirere prohibitis, possessio et quidquid naturaliter adquireretur.

### XIII.

Possessio nihil est aliud, quam rei detentio animo affectioneque possidendi, *l. 2. Cod. de praescript. XXX annor.*

Est

Est autem possessio alia, quae iure consistit, alia, quae corpore; illa ciuilis, haec naturalis dicitur *l. 10. Cod. de adquir. possess.* Ciuilis iure atque animo constat, quae et iusta dicitur per eminentiam atque corporali opponitur *l. 24. D. de adquir. possess.* Vnde apparet, ciuilem possessionem non solum esse facti, quia detentio est, id est ysus rei, verum etiam animi, quia adfectione cernitur atque voluntate, opinione atque cogitatione domini. Ciuilem itaque habet qui-libet rei detentor, credens, se esse dominum et detinere ex iusta caufsa, qua dominium quaeri fas est. Adquiritur vtraque possessio, tum naturalis, quae est iure atque adfectione domini destituta, non autem iure possessionis, tum etiam ciuilis, animo et corpore, id est, corporali apprehensione neque animo aut corpore separatim, sed coniunctim *ex lege 4. Cod. de adquir. possess. et l. 3. §. 1. D. eod.* Quod adeo verum creditum est omnibus temporibus, vt, quamuis de hac re diuersे sentirent Iurisconsulti ex diuersis sectarum principiis, nemo tamen eorum vnum ab altero, corporalem apprehensionem ab animo possidendi, vel hunc ab illo prorsus separari posse statuerit. Omne enim, quod eis diffen-tiendi occasionem praebebat, hoc erat, vt quibusdam casibus paululum discedendum esse a regula videretur. Quare vel excipiebant quaedam, quae animo magis, quam corpore,

pore, apprehendi existimabant, quod fit *l. 51. D. de adquir. possess.* vel vbique apprehensionem atque possidendi adfectum parem esse oportere, arbitrabantur. Quibus SABINVM principem exstitisse PAVLVS tradit *l. 3. §. 3. D. de adquir. possess.* Eo ipso etiam possessionis adquisitio per procuratorem, quam comprobat CELSVS *l. 18. D. de adquir. possess.* non admittenda fortasse videbatur iis, qui sententiam SABINI veriorem esse putabant. MODESTINVS *l. 53. D. de adquir. rer. domin.* ea, quae ciuiliter, per eos, qui in potestate sunt nostra, ab iis distinguit, quae naturaliter adquiruntur, veluti possessio, quam per quemlibet nobis volentibus acquirendam esse censet. Distinctio autem, quam profert, quod ad possessionem pertinet, nihil noui atque incogniti exhibet, adeo, vt, quod omnes affirmant, potius ea affirmetur, quam refutetur, nullam adquiri possessionem, nisi per actum naturalem, puta apprehensionem atque occupationem; naturalem actum quamuis adsignet Iurisconsultus procuratori, multum tamen abest, quin ipsam possessionis adquisitionem procuratore solo perfici posse fateatur, quippe quum animum ex parte mandantis dubio procul supponat. Qua cum conuenit, quod CELSO placuit, procuratorem alienae possessioni praestare ministerium; item etiam PAVLO *l. 1. §. 20. D. de adquir. possess.*

XIV. At

## XIV.

At si possessionem quodammodo, non ideo sequitur, ut etiam dominium adquirere liceat per procuratorem. Proprietas nihil habet commune cum possessione, ut VLPIANVS ait *l. 12. §. 1. D. de adquir. possess.* In iure consistit dominium, possessio in facto atque iure simul. Qua de causa ne per procuratorem quidem, ex principiis Romanorum priscorum adquiri potest, quamuis nobis dominium adquirere velit, quia ius deficit. Adquiritur autem, sicuti possessio, per omnes in nostra potestate constitutos, per quos non solum, ut CAIUS inquit *l. 10. §. 3. D. de adquir. rer. domin.* proprietas nobis adquiritur, sed etiam possessio. Quum nihilominus tamen NERATIVS *l. 13. D. de adquir. rer. domin.* proprietatem dixerit per procuratorem adquiri mandati domino, quasi uno actu, sine omni iuris ambage, recentiores ab hac sententia haud parum discessisse apparet. Utitur VLPIANVS iisdem paene verbis, *l. 20. §. 2. D. de adquir. rer. domin.* hanc adiiciens sententi rationem, quia placet, per liberam personam omnium rerum possessionem quaeri posse et per hanc dominum. Quem sequutus est IVSTINIANVS, excitans constitutionem SEVERI, qua sanxit, quod diu Romae prohibitum erat, quum utilitas contrarium suaderet et,

vt

vt introduceretur, constitutione opus esset, quia, quae iure constituta sunt, non, nisi iure, tolli possunt, *Inst. per quas pers.* §. 5.

## XV.

Quod ad ipsam SEPTIMII SEVERI Imperatoris constitutionem attinet, de possessione loquitur, non de domino. Constitutionis verba haec sunt, quae leguntur *l. 1. Cod. de acquir. possess.* *Per liberam personam ignorantis quoque adquiri possessionem et postquam scientia interuenerit, usucaptionis conditionem inchoari posse, tam ratione utilitatis, quam iurisprudentia, receptum est.* Repetit hanc SEVERI constitutionem IVSTINIANVS §. 5. *Inst. per quas person. cuique acquiritur, sine omni, sententiam quod spectat, immutatione, nisi, quod non solum scientibus, dixerit, sed et ignorantibus nobis adquiri possessionem et per hanc possessionem etiam dominium.* IVSTINIANO igitur videtur haec esse sententia SEVERI, possessionem non a procuratore, sed per eum adquiri. Porro contendit, si possessionem habeamus, per procuratorem nobis comparatam, per hanc possessionem, non per procuratorem id nostrum fieri, quod possideamus. Denique id intelligit, siue sciamus, siue ignoremus, possessionem traditam esse procuratori, nihil

hil praeter possessionem adquiri, quia scientia non opus est,  
 vt adquiratur possessio, quod luculentum fit *lege* 34. §. 1. et  
 2. *lege* 49. §. 2. *D. de adquir. possess.* dummodo possessio ac-  
 cipiatur a procuratore nostro nomine, hoc est, dummodo  
 procurator accipiat eo animo, vt eam nobis velit accipere,  
 operamque dumtaxat suam accommodet, quomodo **PAV-**  
**LO** videtur *l. 1. §. 20.* eod. Procuratoris requiritur voluntas  
 in nos transferendi, quae nostro nomine traduntur, pro-  
 pter ipsius mandati qualitatem. Vbi nobiscum non in  
 vnum consentit, procurator non est, sed libera persona,  
 omnino a nobis aliena. Si quis igitur procuratorem aut  
 negotiorum gestorem se profitetur, aut, quum creditur,  
 non neget, eo ipso declarat, se alieno nomine agere, non  
 suo. Hac ratione, vel disertis verbis pro se accipiendo,  
 quae nostro nomine, id est, eo animo, vt nobis adquiran-  
 tur, traduntur, nihil agit in sua persona sed nobis adquirit  
 iuxta **VLPIANI** sententiam, *l. 13. D. de donat. IULIANVS*  
 quidem *l. 37. §. vlt. D. de adquir. rer. domin.* nihil agi dicit,  
 si procuratori traditum sit, vt ad mandati dominum trans-  
 iret, is autem ea mente acceperit, vt suum faceret. Mi-  
 nus autem contradicit **VLPIANO**, quam contradicere vi-  
 detur. Quamquam enim affirmat, nihil agi, eo tamen  
 solummodo defectum acquisitionis ex parte procuratoris  
 indicat, non mandanti adquisitam negans. Cur nobis  
 etiam ignorantibus possessionem adquiri iure fit constitutum,

D

rationem

rationem addit **SEVERVS** his verbis: *utilitatis cauſſa*; iis-  
demque verbis prodit **PAVLVS L. V.** *recept. ſentent. tit. 2.*  
**§. 2.** **VLPİANVS** negotiorum cauſſa gerendorum positam  
eſſe refert, quibus nosmet ipſi ſuperelle vel nolumus, vel  
non poſſumus, *l. 1. §. 2. D. de procurat.* Cui alia adiici pot-  
est, a **PAVLO** proposita, *l. 1. §. 20. D. de adquir. poſſeff.* ne  
ſcilicet poſſeffio vacet, ſi dicamus, per eos non adquiri nobis  
poſſeffionem, qui noſtro nomine accipiunt, alioquin neque  
iſi poſſideret, cui res tradita eſt, quia non habet animum po-  
ſidendi, neque iſi, qui tradidit, quoniam ceſſit poſſeffionem.

## XVI.

Inter Imperatores **SEVERVS** primus eſſe videtur, qui  
de adquirenda poſſeffione per procuratorem ita reſcripſerit  
eamque niſi omni modo introduxerit, firmiorem certe ſua  
auctoritate reddiderit magisque definitam. Exſtat, quod  
equidem ſcio, nulla aliud Imperatoris constitutio eiusdem  
argumenti in Codice Iuſtinianeo ante **SEVERVM** promul-  
gata. **IVSTINIANVS** ſolam **SEVERI** memorat conſtitu-  
tionem, *Inst. per quas person. quium, ſi quis antecedentium*  
Imperatorum idem conſtituerit, priorem profeſto non  
poſthabuiffet posteriori. Poteſtat, niſi temporis ordinem  
vellet feruare, conſtitutionem adlegare, quam poſt **SE-  
VERVM** edidere **DIOCLETIANVS** atque **MAXIMIANVS**  
Imperatores; qua idem affiſmant, quod **SEVERO** placuit.  
Legitur horum imperatorum conſtitutio, quae huic perti-  
net,

net, l. 1. *Cod. per quas person.* quia autem nihil noui tradit,  
 nihil, quo a SEVERO abeant Imperatores, non est, quod  
 eam longius anquiramus. SEVERVS quid constitutione,  
 saepius iamiam commemorata, profecerit, vt quaeramus,  
 ipse nobis auctor exstat, quippe qui iurisprudentia rece-  
 ptum esse confitetur. Quod nullum ante SEVERVM im-  
 peratorem talem edidisse constitutionem, verosimile sit,  
 vidimus paulo antea. Quare *recepti* vocabulum, tam-  
 quam generalius, iurisprudentiae voce, proxime ei con-  
 iuncta limitatum, hoc loco id denotare videtur, quod *re-  
 ceptum ius, recepta sententia*, hoc est Iurisconsultorum in-  
 terpretationes, quae vtilitate suadente in commune ius  
 transibant. Ita NERATIVS, TRAIANI coaeuus, l. 13. D.  
*de adquir. rer. domin.* sicuti supra monstrauimus, eiusdem  
 fuit sententiae, et vna cum eo fortasse plures, qui idem  
 afferendo eum vel anteirent, vel sequerentur. Et si res ita  
 fese haberet, consequens esset, vt, quem Iurisconsultorum  
 sententiae priuatae sint, constitutiones principum publicae  
 adeoque illae, quibus principum auctoritas accessit, merito  
 praferendae, SEVERVS hac constitutione id intenderit,  
 vt, qui iis temporibus aliter sentiendum esse putarent, reii-  
 ceret atque comprimeret, qui autem sententiam, legis vi-  
 gore iam antea auctam, quamque ipse souebat imperator,  
 propugnarent, sua maiestate condecoraret atque defende-  
 ret. Sed videamus, annie praeter hoc aliud Seuerianae

D 2

con-



constitutioni insit, cuius ei debeamus decisionem. Hoc mihi eo consistere videtur, ut quam accuratisime possessionem fecernat ab vsucaptionis conditione, prout res traditur a domino vel a non domino. Quod non ab omnibus obseruari fortasse intellexerat Imperator, sicuti neglectum esse videmus a NERATIO l. 13. D. de adquir. rer. domin. Casum, quem respexisse SEVERVM arbitror, mihi ad hunc modum effingo. Pone, apprehendi a procuratore meo aliquid meo nomine, quod ipsum apprehendisse ignorem; tum adquiritur mihi possessio et quidem ea, qua dominium mihi adcrescit, si is, qui tradidit, fuerit, qui, quod in me conferre volebat, poterat. Sin minus fuerit, ego vero traditionem factam esse ignorem, tum mihi quidem comparaata est possessio, non autem ea, quae constitutam condicionem vsucapiendi, nisi mihi innotescat, quia deest in ignorante bona fides. Momento enim, quo nescire desino, expirat quasi illa, quam procuratori debo, possessio, atque egomet ipse eam possessionem inchoare videor, per quam ex lege continuatam dominium adquiritur. Vsucapio scientiae incipit interuenientis momento, quia nemo se dominum esse sibi persuadere potest, qui prorsus ignorat, an et quali ex causa possideat. Quod igitur quaesitum est per procuratorem? Nihil profecto, si a non domino traditio facta praeter vsucapiendi occasionem. Occasionem tamen per possessionem antea quaesitam. Hoc est, quod

IVSTI-

IVSTINIANVM procul dubio adduxit, vt diceret, procuratorem nobis adquirere possessionem atque per hanc dominium, id est, vel dominium ipsum vel visucapiendi conditio-  
nem atque per hanc, non interruptam, denique dominium.

## XVII.

Post SEVERVM aliam adhuc, praeter illam, paragra-  
pho antecedente citatam, edidere Imperatores DIOCLE-  
TIANVS atque MAXIMIANVS, *Cod. de adquir. possess. l. 8.*  
qua non solum possessionem, verum etiam dominium ipsum  
per procuratorem comparari non negauerunt. *Per pro-  
curatorem, inquiunt, possessionem et si proprietas ab hac se-  
parari non posse, dominium etiam quaeri placuit.* Sustulisse  
videntur omnes iuris ambages atque subtilitates, quae im-  
pedimento erant, quo minus dominium statim mandati domi-  
no accederet, si procurator a vero domino, cui ius esset  
dominium in aliud transferendi, acceptaret. Videntur,  
non sustulerunt. Non sustulerunt, nec etiam potuerunt.  
Immo, si diligentius verba inspiciamus, neque ullum adie-  
cere, neque detraxere constitutioni SEVERI, eam qui ma-  
gis nouo robore adiuuantes suam fecere, quam nouam.  
Concedunt possessionem per procuratorem, sicuti SEVE-  
RVS, et, si ab hac separari non posse proprietas, etiam do-  
minium, sicuti SEVERVS, iuxta interpretationem Iustinia-  
neam, supra laudatam, talem intelligens possessionem, per  
quam adquiri potest dominium, ut necesse non fuerit, de do-

D 3

minio

minio adiungere, quum illud procurator non adquirat. Ad loquendi rationem quod attinet, eadem fere usus est **NE-RATIVS**, quum diceret, dominium nobis adquiri per procuratorem, si ei nostro nomine tradita sit; a vero scilicet domino, propterea quod hoc casu proprietas non potest separari a possessione, nec, quis dominium habeat, diutius dubitari. Ut autem, qui procuratori tradit, ea mente tradat, ut ei adquiratur, cuius nomine procurator accipit, hoc aequitas magis postulare videtur, quam ut ideo necessarium sit, quia ius ita voluit.

### XVIII.

Supereft, ut, quomodo ius naturale conciliari posfit circa hanc materiam cum Iure romano, imperatorum constitutionibus informato, aut potius re ipsa conspiret, inquiringendo paulisper commoremur. Quod non difficile erit, si iuris **rationem** pensitemus, quae necessitatem iniungebat imperatoribus, nisi ius ipsum tollere vellent, non aliter constituendi, atque nihil aliud admittendi, quam dominii acquisitionem per possessionem procuratore administratam. Procurator enim non possidet, quia caret animo possidendi, neque vult sibi adquirere dominium neque potest, quia expers est domini affectionis; fieri denique potest, ut a non domino accipiat atque usucapiendi occasionem domino praebeat ab eo momento, quo ignorare dominus definit. Distat autem possessio ab usucapione, quod etiam ignorans possidere incipit,

cipit, non tamen vſucapere. Quare etiam distare oportet ius romanum a naturali, quo omnis vſucapio, tamquam iuris romani inuentum, exulat, si quaeritur, vtrum possesso adquiratur per procuratorem sine dominio, an vtrumque; et rursus, si vtrumque, quid prius, possesso an dominium, separatum, an coniunctim atque simul. Quod iure naturali valet de occupatione putativa, valet etiam de acceptancee procuratoris, quum ab eo acceperit, quem dominum crederet. Adquisita est mandanti bonae fidei possesso, eualescens, simul ac verus dominus appareat. Est igitur, cuius nomine traditum est atque acceptum, domini loco, quamuis traditionem ignoret, donec vel ipse, vel eius procurator comperiat se ab eo accepisse, cui deerat ius alienandi. Domino vero tradente, non tantum possesso adcrevit mandanti, sed etiam vna cum ea dominium. Et quidem ob cauſae continentiam, quum dominium hoc casu **a** possessione separari nequeat. Quod iure romano dicatur, possessionem adquiri per procuratorem atque per hanc dominum, ideo factum esse res ipsa docet, vt iure certum sit atque satis definitum, quid eo casu mandati domino adiiciatur, si a non domino acceperit, quum dominium translatum non sit ex voluntate ipsius domini neque plus quisquam transferre posit in alterum, quam ipse habet; neque vſucapio, si traditionem atque procuratoris acceptanceem ignoret, qui procuratorem sibi constituit, statim inchoari queat. Ne tamen frustranea sit vniquam procuratoris opera, neque res vlla, et si domino videretur, non tamen omni possesso vacua, hac distinctione cauebatur, quae quamuis possessionem quodam genere a domino separat atque seingat, nihil minus tamen, si vnum altero abesse nequeat, non obstat, quo minus vtrumque sibi inuicem seruiat atque subtiliori iuri aequa ac aequitat naturali congruat.

PRAE.

P R A E S E S  
A V C T O R I

S. D. P.

*Quae nostra memoria inualuit consuetudo, scribendi per procuratorem, merito inter turpissimas refertur ac pernicioſiſſimas. Reipublicae interest, noſſe non facultates ſolum ciuium, ſed et ingenii vires, ut, quod ſane firmiſiſum eſt communis ſalutis praefidium, pro virium quiske indole ad praeflanda patriae officia adhibeatur. Quae cum ita ſint, impia ſane et peſtifera eſt fraud eorum, qui ſimulata virtute dignioribus munera praeripiunt, quibus ferendis plane impares ſint humeri. Sic ſaepius probitas laudatur et alget. Sic cultores, mesis eorum ſudore parta ſi relinquitur ignavis, amittunt litterae. Sic tandem vilescent academiae dignitates. Tu Candidate Praefiantiſime ad has dignitates Tuо iure adſpirans, de Procuratoribus et domino per ipſos adquirendo ſcribendi capiens conſilium, et rem propositam elegiſti, et illam nullo uſus procuratore proposuisti. Reddo Tibi hunc libellum haud exiqua cura et eruditione conſcriptum, ipſique, ut fit, quod eſſe debet, Tuae virtutis ſpecimen, parum vel nihil addendum eſſe censui. Gratulor Tibi, quos feciſti, tam in ſcientia legum, quam in litteris, quae ad humanitatem pertinent, progreſſus, et ut Tibi omnia et nunc et porro eueniant ex animi ſententia, ſumma votorum eſt.*

ULB Halle  
002 265 427

3



(f) 56.



Pr. 6. num. 2.

22

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

6  
DE  
DOMINII ADQVISITIONE  
PER PROCVRATOREM  
PRAESIDE  
D. IOANNE CAROLO GEBHARDO  
REINHARDO

IVRIS FEVDALIS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
PROFESSORE PUBLICO IVDICII PROVINCIALIS IN  
MARCH. LVSATIAE INFER. ET FACVLT. IVRID  
ASSESS. ORDIN.

PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE  
HONORIBVS

RITE CONSEQUENDIS  
DIE XII. JANVARII CICICCLXXVIII

H. L. Q. C. DISPVTABIT

AVCTOR

CAROLVS FERDINANDVS SCHMID  
IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATVS

VITEMBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

